



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Societati putabat præcipua cura iuuandum Septentrionem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

ferretur Canisij, quæ tanquam diuinitus missa, eas ipsas, quæ desiderabantur, continebat summas. Ita Dominus fidele sui Procuratoris officiũ approbabat, gratiusq; ipsa opportunitate reddebat.

Existimabat autem Canisius proprio quodam munere ad Societatẽ pertinere in restituenda per Aquilonis plagas religione eniti; ingentique animo, atq; adeo optima spe suscipiendam eam prouinciam, cum aperta vocantis Dei, egregieque fauentis haberet pignora. Primũ quod sub id tempus, quo grassari per ea loca cœperunt hæreses, societatem Deus excitauit, eoq; instituti genere, ea Romanæ sedi obedientia, ac deuotione, vt appareret idcirco maximè procreatam, quo furiarum illarum impiæ contumaciæ opponeretur. Deinde quod B. Ignatius Germanicas res ita suscepit, vt superet prope fidem, quæ ad exordiendum, ac sustinendũ Germanicum in Vrbe Collegium, moliri, perpetiq; non dubitauit. Idemq; e primorum Patrum numero quatuor vni Germaniæ, Petrum Fabrum, Claudium Iaium, Alfonso Salmeronem, & Nicolaum Bobadillam dedit: cum vniuerso terrarum Orbi, præter ipsum Ignatium, qui

*Societati putabat præcipua cura inuadum Septentrionem.*

sedem in Vrbe fixerat, & Ioānem Codurium qui migrarat in Cælum, haud plures, quàm alteri totidem reliqui fierent. Ad hæc pro minime obscura diuinæ voluntatis significatione numerabat tantam, tam breui tempore, tam propenso Procerum studio Societatis per omnem Germaniam, domiciliis etiam non mediocribus constitutis, propagationem. Adeò promptos populorum animos ad excipiendam ab ea culturam, adeò numerosam iuuentutem, quæ vndique confluens tam cupide in eius disciplinam Christianis instituendam literis daret. Eodem pertinere ipsam Hæreticorum confessionem, qui passim vel inuiti proderent ab nullo se hominum genere maius perpeti bellum, & maiores clades accipere. Hæc animo versanda censebat Canisius hominibus nostris, vt quod vocati essent ad opus, & institutum agnoscentes, talibusq; freti prouidentia diuinæ pignoribus, alacres darent se in eam dimicationem, magnaq; constantia contra suborientes difficultates in spe contra spem nitentes, confiderent, etiam si successus non appareret, nec responderet optatis, tamen gratum esse Deo ipsorū certamen. Quod quo solertius fieret, vigilandum  
cense-

censebat Prouinciarum Præpositis non modo vt bona semper diuini verbi Præconum suppeteret manus, ac literarum studia, inprimis linguarum florent, vt quo illinunt Hæretici melle venena, eodem Orthodoxi lenire medicamenta possent; sed etiam vbi de more Collegia inspectarent, nominatim inquirerent, & quasi rationem reposcerēt, quid proprie anno proximo ad restitutionem Ecclesiæ tentatum, deque nouo inceptum esset: quam multi ab errore deducti: quot in recto calle retenti, confirmatique, & huius generis alia.

His autem ipse curis non modo publicam religionis rem immensum iuuit, sed etiam Societatem per septentrionis regiones illustrauit vsq; eo, atq; disseminauit, vt meritò parens haberi debeat Prouinciarum quatuor, Austriæ, & Germaniæ superioris, tum Rheni, atq; Poloniæ. Nec de prioribus duabus dubitatio residebit, q̄ quæ supra narrata sunt, viderit, ac meminerit. Atqui Rhenanā quoq; ei deberi planum est, qui primos Coloniae socios etiam patrimonio aluit suo, & ad beneuolentiam Carthusianorum Patrum, multorumq; Ciuium aditum eis patefecit. Primus deniq; cum Leonardo Kesselio relictus à Fabro est colonus

*Quantum Societatem illustrauit, ac propagauit.*